


Expositione und conser  
vacione der alten Schriften  
in der Universitat zu Jena.

00

G. q. 234.





HISTORICA DE SACERDOTVM  
Cælibatu narratio,

INDE AB APOSTOLORVM  
TEMPORIBVS AD GREGO-  
RIVM VSQVE SEPTIMVM HETRV,  
SCVM, ANTE PONTIFICATVM HELLEBRAN-  
dum dictum, qui Salerni in exilio misere viram finivit, deducta: in  
qua insidiosæ Diaboli machinationes, quibus tentatus est cælibatus, &  
pium multorum præcipuorum virorum cælibatum impugnantum  
studium, ac tyrannica crudelitas, qua tandem perlatus &  
violenter introductus est, breviter recitantur,  
carmine Heroico.

IN HONOREM NVPTIARVM  
VIRI REVERENDI ET DOCTI, DO-  
mini PETRI VINDRVPII, Conuentualis & Pa-  
storis in Monasterio Riddageshausen,

G

CASTISSIMÆ PVDICISSIMÆ QVE  
virginis ELISSAE HELMBOLDIAE,  
primum Sponsorum, texta

à

M. Henrico Boëtio Steinbacchio,  
II. IIIXbr.

HELMSTADII  
Excudebat Iacobus Lucius,  
Anno 1580.





# HISTORICA NARRATIO DE COELIBATV SA- CERDOTVM.



X quo flagranti contortum ful-  
minus aura  
In loca caca Orci pepulit, peni-  
tusq; remotas  
Jussit adire domos Satanam, Sa-  
tanaq; maniplum  
Exactum solio, excussum radi-  
antiibus astris,

Quam sibi, sed vano, sedem promiserat ausu.  
Imperius ille Dei irarum, damnavit & Orco;  
Exul & aetheriis à sedibus incola Averni,  
Terrenaq; hominum est sedis popularior & osor,  
Ille Dei, ille hominum, Christiq; acerrimus hostis,  
Factus & ejusdem verbi, verbiq; sigillis  
Cui sibi collecto multis ex gentibus uni  
Spes jubet esse gregi certas, rebusq; futuris  
Horitur, certam dubitet ne apponere mentem,  
Christus, & usq; bonus dictis solatur amicis:  
Ex illo Christum contra fremit ore cruento  
Horridus, exercens odiis crudelibus iras,  
Agmine quos tanto, quod signifer ipse regebat,  
Defecisse videt, Christum per cuncta secutus  
Contra Christicolas, assertoresq; sacrorum.  
Et quanquam in miseram vario ruit impetu stirpem,  
Mortalesq; modis trucibus quoscunq; fatigat:  
Attamen ante alios, quos Phœbus viring, recurrens

## Historica narratio

Visit, in hos totas furiarum effundit habenas,  
Quorum non abolere potest vis vlla ferorum  
Monstrorum, casus' ve graves, ferrum' ve, dolive,  
Non rota, non Tybris, non duri inventa Perilli,  
Quamvis martyrio varientur sanguine vestem,  
Pectoribus Christum, fideiq, exinguere flammam.  
Nam quicunq, gerunt suppostum cordibus agris  
Christum, quosq, fovet præsenti numine Christus,  
Hos defensa diu insidiis, sua vasta daturos,  
Perruptore Eredi Christo auspice, munere verbi,  
Regna triumphantes meminit: casusq, fuiuros  
Præmensus, que & cum regno tam dura parentur  
Fata sibi, fertur furiata mente per orbem,  
Atq, Sioneum vario quatit arjete murum.  
Qualis in Aeolia quondam regione, profana  
Titanis proles, manuum quam magna juvabant  
Robora, freta suis malè viribus, impia proles,  
Inter se certans, & montes montibus altos  
Imponens, magnas moles & ad æthera dicens,  
Ne qua sibi tantis deesset fiducia cæptis,  
Fertur cæca animis, manibus convellere cælum  
Aggressa, atq, Jovis sævum affectasse tridentem:  
Talis in arma ruit, rabidoq, exasperat ore  
Ille suas acies, & nigri castra Colubri  
Impiger, & turbam Christi sine viribus agram,  
Imbellem turbam circumfilit agmine facto  
Martis & armorum fremitu, fraudumq, veneno.  
Et fratrum primum quis sanguine nesciat orbem  
Immaduisse? quod hic sacris operatus & ipsam  
Optat adesse diem promissi fæderis, in qua  
Vellere signatus niveo candore bidentis,  
Quod Deus ipse sue victus prece, victus amore

Percara

de Cælibatu Sacerdotum.

3

Percaræ sobolis, monumentum & pignus amoris  
Esse sui dederat primævo foriè parenti,  
Nascatur pulcra per pulcer origine Christus.  
Confisumq; suis meritis castigat amicè  
Germanum, suaderq; procul, procul omnia facta  
Nescia ferre Dei commoti incendia ad iram,  
Auferrī, & facti spem fœderis omne tantum  
Firmari, atq; Dei solum promissa manere.  
Alter at indomitus premit altum corde furorem,  
Et secum: se ne ille mihi se præferat infans,  
Et pietate velit mecum contendere? meq;  
Ob dispar studium verbis castiget amaris?  
Efficiam ne me petulantius increpet, & ne  
Dehinc pietate velit mecum contendere. Pinguis  
Ac velut ad pingues cæsus bos sternitur aras,  
Eripiam his animam manibus, procumber humi ipse  
Exanimis, vomet ore animam, simul atq; cruentem.  
Dixit & induit crudelis brachia cestus,  
Os, humerosq; homini ab simili, fera corda furore  
Concussa ingeminant, cædem sonat oris hiatus,  
Ardentesq; micant oculi, irarumq; relucunt  
Spiritibus, nescitq; loco consistere, donec  
Insontem illam animam crudeli extinxerit ense.  
Et quis eas omnes numero comprehendere strages,  
Quas malus ille doli & fraudum fabricator & autor  
Edidit, aut possit lacrymis equare dolorem?  
Nec tam adeò quenquam cassum modo lumine credam,  
Quem non armorum fragor, ac immania castra  
Hostis terruerint, qui clangoremve tubarum  
Astonitus non audierit, lituosq; sonoros.  
Tartarus Arctois regionibus accola, bello  
Horridus, assuetusq; hyemi & contemnere ventos,

A 3

Molli-

## *Historica narratio*

Mollitiemq; levem, doctus certaminis arcus,  
Nos contra imbellis quanto se robore tollit?  
Fortis ut Euphrates armorum pondere ad ortum  
Concrepet, atq; gemat dura sub acinace, nostris  
Intentante necem cervicibus, illud abunde  
Constat, & heu quanti testes sunt stragis acerbi!  
Et quid ab occiduo sperandum sidere fortis  
Sit Chirone, docent crudelia funera Atlantis  
Gallici, in eternum cuius pietatis imago  
Vivet, in obscuro nunquam condenda sepulcro.  
Morte caret pietas, nec lento carpitur aeo,  
Temporis accessu floret magis atq; mitescit.  
At quæ terribili vulnu, quæ bellua vasto  
Corpore, quæ tantis sibi viribus armorumq;  
Act tormentorum forma quacunq; reperta  
Tam placet, horrendo tonitu consurgit ab Austro?  
Scilicet hic Latus furor est, hac sunt Latia arma,  
In triste excidium, parvo confata Sarepta.  
Et reor, haud animi ambiguus, quod Marte furente,  
His quoniam furiim tutus latitaret in oris  
Horrisona arma inter, veniat quis de super Orbi,  
Ficta q; quam pietas, errorum ambage, recondit,  
Traxerit hoc nomen Latum sibi, fœta furore.  
Quæ prior illa ætas, fati haud ignara futuri,  
Nominibus signata dedit, populoq; futuro  
Monstravit, seri moneantur ut inde nepotes.  
Atq; hac una mali fabrica est, qua territat orbem,  
Exploratq; pios & corda professa salutem.

Sed quia per sylvas ut cæsa repullulat arbos,  
Plurima & inde trahens nativi semina floris  
Progenies oritur, quæ lata resurgit in auras,  
Frondibus atq; suo foliorum prodigaluxu

*Divite.*

de Cœlibatu Sacerdotum.

4

Divite, lætatur secta se stirpe renasci:  
Martyris haud aliter centum de funere surgunt  
Vnius, & pariter caput objectare periclis,  
Nec fremitus Orci, nec tristia monstra morari,  
Sponte sua cupiunt, mortemq; pro honore pacisci  
Christe tuo, gaudentq; tua se morte renatos,  
Ablutosq; tuo sese imbre, salutifero imbre.  
Quippe juvat letas segetes cultura Coloni.  
Ergo truci posita feritate & Marte remisso,  
Non jam bella sonans, lituosq; ensesq; recondit.  
At mage pestiferas subito conversus ad artes,  
Securos penitus fraudum & nil tale timentes,  
Furtim adit, & vacuos curis, somnoq; sepulcros  
Occupat errorum tenebris, fallitq; veneno  
Incautos. Nec enim membris dat cura quietem,  
Irrequetus agit: manet alta mente reposum  
Judicium Christi, sceptriq; repulsa petiti,  
Et genus invisum, ac hominis mortalis honores.  
Quapropter: Mène incepio desistere victimum,  
Si non Christiadas detur savire per omnes,  
Nec posse atheriis magnas averttere prædas  
Finibus, & mecum Cocytio immergere Diris?  
Quippe rutor Christo, cælum cui paret & orbis.  
Verum agè quæ vires, sit quanta potentia nobis,  
Supplicibus Christum votis qui pronus adorat,  
Sentiet, atq; adeò qui se fert nomine Christum.  
Dixit, & in verbo subito vestigia movit,  
Et quorum faciles animos, verumq; tueri  
Difficiles oculis cernit vigilantibus, illis  
Addit se socium, ambiguisq; superuenit unus,  
Fingere quos non lecta docet, non visa profano  
Mentiri arbitrio, & fraudes vulgare per orbem

Hortatur,

## Historica narratio

Hortatur, magna stimulatq; cupidine laudis,  
Et veri infandam praetexit nomine fraudem.  
Eheu quam multis animæ venit intima ab illo  
Pestis, & innumeros quam tristi hac tate peredit,  
Hoc metitur Stygio quam messis opima tyranno?  
Et quot Christiadum tenera moriuntur in herba?  
Accepere prius patulis quam faucibus ore  
Ambrosiam aetheriæ, & cœlestis dulcia mensa  
Pocula gustarunt, Christi q; fluenta biberunt!  
At quota pars hominum summi petit atria Olympi?  
Triste quidem dictu: plures per inane volantes,  
Agglomerant sese tristes Acherontis ad undas  
Sponte sua potius, non duro Marte parandas,  
Corporis exutæ vinclis & carcere manes:  
Quam vi, quamq; gravi conentur ad æthera nisu,  
Quem, nisi per Martis pauci mercantur honorem,  
In via non Strygias quo fert Acherontis ad undas  
Est via, diffici transiit ad æthera gressu.  
Huic cuneo Hereseos, tandem socia agmina jungit,  
Agmina, facta quibus sanctæ est pietatis imago  
Velamenq; malæ mentis, qui se ore ferentes  
Christicolas, aversa gerunt malè pectora Christo,  
Quem quamvis Dominum simulata voce salutent,  
Pestibus illudunt variis, quas Christus adoptans,  
Concilium trahit ad cœli, patriosq; penates,  
Ex quibus extorres pena offensaq; Tonantis,  
In tenebris vitam tetro & squalore trahebant.  
Quos inter primam hi meruerunt laude coronam,  
Non, qui conjugium dictis incessere amaris  
Erubuere parum, Taciani de grege porci,  
Montanus ve furens, virtuti invicta potentis  
Cordæ gerens verbi, pro quo sua seminat errans

Illyrica

de Cælibatu Sacerdotum.

5

Illyricæ nigriora picis deliria fumo:  
Cypricola vel qui, Veneris male percitus æstro,  
Elapsus patriæ, quum supra nefanda fugarent,  
Vrbe Papho, immanes tibi centum ubi thure Sabao  
Cypri calent aræ, fertisq; recentibus halant,  
Ad pulcrum Latii consedit Tybridis amnem,  
MARte Clere potens, non armis Martis ONustos  
Atridas, sed quos Paridas vel Sardanapalos  
Ardor habet Veneris, marris qui turpia amorum  
Mancipia, errorum, furorum & laude superbi,  
Atq; citis rapti pedibus, funesta pererrant  
Solis inaccessi radiis loca, flammea nigri  
Regna, tenebrarum tormentorumq; magistri:  
Sed qui jura tori, divini certa favoris  
Signa vocant, tanio velantes nomine fraudes.  
Insidiasq; suas, toto quas pectore amantes,  
Exosi sanctum thalamum, gelidoq; cubili  
Devoti, sancto præjussa, fætida adorant  
Vota, suisq; jugum nec viribus ullius equum  
Accipiunt cæci, gaudentq; cupidine cæca.  
Devotosq; sacris, ut fallant fædera lecti,  
Abstineantve sacris, ferro, igni, Tybride cogunt.  
Hi sunt, qui Christi messem populantur opimam,  
Hi sunt, qui sacras prædantur honoribus aras,  
Hi sunt, qui Christo tenebras, noctemq; profundam  
Præcipitant verbo, tenebris miscentur & ipsis.  
Hi sunt quos pietas multorum cæde cruentos  
Ut semel exiituit, sunt alta silentia templis  
Facta, nec ingeminata tulit pia concio laudum  
Carmina, at obticuit numeros dedocta priores.  
Scilicet haud fas est sacris operata corona  
Concubitus voveat sanctos, forveatur & illis,

B

Sed

## Historica narratio

Sed satius multò est, tristes ut Thaidos vias  
Sentiat, ardendo veritos patiatur & ignes,  
Incestumq; cubile colat, frammamq; fowendo  
Furtivam alternet Venerem, pascatur & illa.  
Sancta decent sanctos, nec legum vincula sunt,  
Quorum ex arbitrio panduntur fulgida cœli  
Atria, quosq; pavet Stygis atra caverna profunda;  
Libertas quos sola viros respexit, & omnes  
Nexibus exolvit legum: Durissima lex est  
Triste & servitium, quo nulli exire licebit,  
Conjugii pactum, nec libera frena furori  
Mittit, carceribus cogens quoscunq; jugatos.

Verum age summoto longarum errore viarum  
Nunc fraudum expertes & simplice mente putemus  
Jura Sacerdotum ihalami, & quo jure negentur.  
Principio at sanctam quis legem excusserit orbe  
Viribus atq; dolis, scelere & quo immanis eidem  
Intulerit fraudem Romanae bellua Lernæ,  
Multis & infractus quo animo, quaq; arte magisra  
Fortiter Antistes stererit pro legibus istis,  
Expediam: quantum at vero digressus aberret  
Cerberus ille triceps, quo nil immanius unquam  
Sol Pater exoriens radiis afflavit in orbe,  
Inde canam. Tu Christe Dei sanctissima proles,  
Christe Sacerdotum, castorum & præses amorum,  
Dexter ades, mentem inspirans & carmina dictans.  
Non nos ficta juvant Cyrrhei numina vatis,  
Nec male sana Deas quas credidit esse vetustas,  
Thespiares sacri celebres Heliconis alumnae,  
Corda agitans vivo motu tu Delius ille es,  
Ad defensandum rapiens pia pectora verum,  
Ipse Pater vatum, vates doctissimus ipse.

Ante

de Cœlibatu Sacerdotum.

6

Ante Dei in terras, per quem luit omnia mundi  
Crimina & errores, adventum mitis, ut oris  
Lustratis hominum, solio demissus eburneo,  
Demia prius pomo nobis repararet avita  
Sceptra, tori cunctis patuerunt pacta ministris,  
Quos vigiles & custodes vigil ignis habebat,  
Munera quive sacris altaribus ampla ferebant,  
Aut soliti cæsis onerare altare juvencis,  
Aut agni jugulo sacros immergere cultros,  
Fæderis aut pignus, rufam mactare juvencam,  
Aut, sacros aliis, adyris lustrare quotannis,  
Tempore non illo horrebant connubia Divi.  
Inde sed ut lapsis ferme melioribus annis,  
Vox preciosa Dei cæco obtenebrescere mundo  
Cæpit, & humana, tantum, ratione petita,  
Non de fonte sacro, cæpit consistere fallax  
Relligio, & mensura fuit fandi atq; nefandi  
Cæca acies, fallax acies, nimiumq; retusa  
Humani sensus acies, cerebrumq; profanum:  
Tum verò pudor atq; decus nilescere passim  
Cæpit, & heu magnis tandem sordescere mundi  
Præsulibus, mitis cælo capita alta ferentes.  
Quos penes arbitrium est, ac vis inimica suorum  
Tollere majorum, conformia legibus istis,  
( Quæ patuere Dei pandente volumine nobis,  
Quasq; salutifero lustrati fovimus amne,  
Et quas cuig; dedit naturæ immobilis ordo,) Jura Dei verbo deducta, sacerrima jura,  
Atq; suos contrâ crepitus & somnia vana  
Figere, & immensis infundere viribus orbi  
Fucos, de quibus haud est ut sub judice certes.  
Nec tamen infitor, varijs mentita colores.

B 2

Autores

## Historica narratio

Autores reperisse suos , rigidosq; patronos,  
Conjugii vetita , in mundum spectanda patentem  
Missa prius , plaususq; suos habuisse placendo,  
Romulidis quam presulibus vi gesta per orbem  
Res , & fulminibus tremuere cacumina portæ  
Colline , atq; animos stravit pavor inde resultans.  
Esseos neg; enim haud memini , Sectamq; furentem  
Nicolei , qui dum nimium popularibus auris  
Fertur , inexpletus levium venator honorum ,  
Conjugio Dominam sibi quam sociaverat , ipsas  
Rejicit exosustadas , vitamq; professus  
Expertem Veneris , blandiq; Cupidinis astus.  
Huic conjunx forma pulcerrima , Deiopeja  
Inferior nihil , aut Helena , aut Junone , vel ipsa  
Cypride erat , forma ut nulli pietate secunda ,  
Culta , modesta , sacri per quam studiosa pudoris ,  
Cujus ad internos , species in cetera , sensus ,  
Exemplar vivæ fidei conversus habebis .  
Hujus at ille fidem fallens , pactosq; Hymenæos ,  
Non tulit in mensæ , nec lecti in parte morari ,  
Indignè dignam exturbans meliore marito .  
Namq; altos magno inflatos turgescere fastu ,  
Tollere magna supercilia , & sibi poscere honores  
Humanos supra , simulati furta pudoris  
Occultare bonos & fuco & fraude magistra ,  
Viderat , & vulgo larvata ea mira videri .  
Hac igitur secum : ( quanta est vesania multis  
Quam multi aucupii pereunt popularis amore ! )  
En ego , cui Christi cecidit custodia legum ,  
Quem Gaze justi studium præfecit & equi  
Quarius ? & Esseos solos nunc vulgus adorer ,  
Nec sese villa meis pedibus prosternat & unum

Obser-



de Cœlibatu Sacerdotum.

7

Observez gens, meq; suo sub pectore gestet?  
Quippe veter, que sola meis conatibus obstat,  
Conjuge, quam nullo fasces dignantur honore.  
Abjicienda ea mollities, sic itur ad astra.  
Et ceu gurgulio metuens, pluvialibus hædis  
Nequa sibi aggestum farris populetur acervum,  
Fæmellam exturbat, positisq; cubilibus arcet:  
Ille sibi, furiis nimium correptus ini quis,  
Auspicio junctam stabili, propriamq; dicatam,  
Singultu exanimem, & tendentem ad sidera palmas  
Nequicquam, ac fessos lacrymis ad summa levantem  
Astra oculos, ægrè & defecta voce gementem,  
Impius immani fremitu, vocisq; fragore,  
Et quæ crebra sonant misera sua tempora circum  
Verberibus misere concisam summovet æde.  
At quia conjugio incautus se substrahit, anie  
Sollicito secum tacite quām pectore verset,  
Quantum oneret, moli non sufficientia, membra,  
Exploretq; suas imposta ad pondera vires,  
Quidq; humeri valeant, aut quid nam ferre recusent,  
Sit vis quanta animi, si quanta ferocia carnis:  
Serius agnoscens veteris vestigia flammæ,  
Et quantum Veneris pascant incendia pectus;  
Cypridis illicitæ se mancipat usibus aptis,  
Et quascung; rapit, quacung; armenta secutus.  
Sic, cui turpia erant socialis fœdera dextrae,  
Incesti modo concubitus solantur eundem,  
Conjugis & thalami nolentem ad jura reverti.  
Difficile usq; adeò est carnis cohibere furores,  
Atq; recursantem naturam expellere votis.  
Paulatim illa suas rapuere incendia vires,  
Parva metu primò, facilem sed deinde secura

B 3

Turba

## Historica narratio

Turba viam, sceleri vires dedit, extulit, auxit.  
Nam velut in tuguri culmen cum forte favilla  
Incidit, illa vdo luctans sub fomite crassum  
Ore vomit fumum, dum major viribus exit,  
Vulcano superante, negans ad septa redire,  
Nerea contemnens, ventorum turbine lata,  
Invida vicinis, & que fors cung, propinquant:  
Sic o sic passim serpens contagio falsi  
Dogmatis, immensas vires acquirit agendo,  
Et passim se fæda virum diffundit in ora,  
Si modo narrantis fraudem quoq, vita sequatur.  
At quibus arrisit nimium blandita veneno  
Corripit, & miro vitiatos fascinat astu,  
Ne qua sua in verum possint desigere sensa.

Hunc, commune nefas communis fraudis Erinnys,  
Nicoleon scena digressum, & plura parantem,  
Fabula de Tecla, scenis, decus inde futuris.  
Excipit, & sese miscet sicutientibus astu  
Vipereis armata comis, succoq, veneni  
Aspidis. Hunc at hirundineo de more bibentes,  
Bella parare toro, Bellone verbere torto  
Accincti. Verum manifesta in luce videndi  
Tum patuere doli, veteris documenta Colubri.  
Ille suo quoniam Getico de littore Ponti,  
Qui scripsit, mundo fatig, arcana retexit,  
Quæ sunt, quæ fuerunt, quæ mox ventura trahentur,  
Signavitq, sua ad vivum Babylonida forma,  
Quæ cornu petat, & Phialis præsentia libet  
Funera, & emitat magna ni Erinnys Orci,  
Non tulit ille dolos procedere longius, ista  
Lethatosq, videns lugubri peste, secutos  
Hec Labyrinthei divortia cæca furoris:

Quæ

de Cœlibatu Sacerdotum.

8

Quæ vobis proceres, inquit, iam dira Cupido  
Regnandi, quinam incessit præcordia fastus?  
Aut quæ vos fragilis cepit fiducia carnis  
Tanta? Deo tantas in voto trudere moles  
Audentis, pugnando Deo non viribus aquis?  
Quis genus humanum, stimulos quis nesciat ægri  
Pectoris, & qui tanta fovent incendia pastus?  
Non opis hoc nostræ, non hoc sine numine Diunum  
Quod struitis, confit, pauci hoc donantur honore.  
Quidq; obtusa adeò gestatis pectora cæci?  
Quidq; oculos hebetat mentis, menitemq; retundit,  
Nesciat vi tacitos nunc vestigare recessus,  
Insidiasq; graves, monstri & portenta nefandi?  
Aut quæ Tharsiderapuere oblivia vocem?  
Non ea vis illi est, non tanta superbia Paulo,  
Non Euangelium quondam hos didicistis in usus.  
Certa Dei vox est, quam saecula nulla movebunt,  
Quam tulit ille Deo missus Tharseius heros.  
Texitur illa dolis sed fabula, nomina Pauli  
Quæ sibi præscribit, titulum mentita, fidemq;  
Dixerat, Auguriq; habitus non futilis autor,  
Ardescens odio errorum, veriq; labore,  
Protrahit in medium mentitam frivola linguam,  
Castigatq; virum fraudum molimina fassum,  
Quæq; tulit multos damnatur fabula plausus.  
Sic imbuta dolis tandem rabida ora quierunt,  
Omnibus ex aequo mandato conjugis usu,  
Igneus interius quorum se se ossibus ardor  
Miscet, agens venas, tædarum & avara pererrans  
Corda suis stimulus, & virus habente calore.  
Aethera quondam Christi vescentibus aura  
Discipulis, sanctis hec aspera inhorruit olim

Tempestas



## Historica narratio

Tempestas thalamis, nondum patientibus illis,  
Quos penes arbitrium, sacrorum & summa potestas.  
Nec tum legis erat sed laudis, cœlibis astus,  
Qui variis actus, (faciem variante rotaram  
Fertq; refertq; vices, certi quæ nescia, Divam.)  
Casibus, Italiae vix tandem finibus hæsit,  
Et laus Lex facta est, non indignantibus illis  
Quis variata placent incesti gaudia lecti.

At verò, historie vestigia summa secutus,  
Quæ fortuna toro fuerit, quæq; alea fati,  
Extincti postquam cruda jam morte jacerent,  
Qui Christo in duros socii placuere labores,  
Ordine nunc pandam, faueas tu dexter Apollo  
Christe pater vatum, thalamiq; antiates honori.

Est regio ad Boream gelido contermina Ponto,  
Ad Caurum Thracum despectat desuper arces,  
Inde Phrygum regnum tepidum se tollit ad Austrum,  
At Germanopolis Galatarum surgit ad Eurum,  
Bebryciam, perhibent, gentem dixisse priorem,  
Nomine jam posito veteri Bithynia fertur:  
Huc se longa virum, quos Religionis agebat  
Cura sagax verae, rebus poscentibus offert,  
Longa virorum acies, rerum spectabilis usu  
Multiplici, veneranda acies, multisq; professâ  
Exiliis, flagrisq; suum, quo deperit ignem,  
Infixum memori & viventem in pectore Christum.  
Hos inter, positis de Religione (sepulcio  
Extinctoq; probè funesto incendio Arii)  
Articulus, vita de cœlibe questio, Patres,  
Exoritur: sanctum ne colant, qui operantur ad aras,  
Neclaris & latices Christi, æternaq; salutis  
Gaudia magna sonant, & sancta oracula, codex

Quæ

de Cœlibatu Sacerdotum.

9

Quæ modò cung<sub>s</sub> regit sacer aig<sub>s</sub>, arcana recludunt,  
Conjugium, an potius votis damnentur, & usum  
Conjugis exosi, vitam sine compare ducant.  
Hic motus animorum acres, varieg<sub>s</sub> ruentes,  
Parte volutatis animis in utr<sub>a</sub>q<sub>s</sub> vicissim,  
Cernere erat: jam conjugium, jam vota probantes  
Pro se quisq<sub>s</sub> suam certant defendere mentem.  
Sed victrix tandem placuit sententia multis,  
Sacra ministerium commendans vota professis.  
Vnus at è medio, de quo non gaudeat, unquam  
Nec gavisa fuit, vel quovis fæmina pacto,  
Vnus ab Idalio qui se servaverat igne,  
Quo se jactat ager Pharius, quo Memphis alumno,  
Hos contra ingreditur solus Paphnutius omnes:  
O soli infandæ memores dilecta ruinæ  
Turma viri, per quæ divortia cæca vagantes,  
Quò ruiis? quæ vestra animos sententia turbat?  
Discant, quæso, odium, quibus est crudele cubilis  
Comparis, & lecti, præ votis, fædera sordent,  
Discant, quam thalamus versetur cardine honoro.  
Quis neget esse Deus quæ fædera sanxit, honora?  
Quis neget esse Deo gratos quos extudit usus?  
Carnis opus non sunt hec connubialia festa:  
Altius at surgens cælo se tollit, & ipsi  
Sanctus Hymen Triadi præclaros asserit ortus  
Ipse sui, prima deductus origine mundi.  
Nec tantum, donec paterentur in arbore poma  
Primevi sine contactu pendere parentes.  
Sanctio sacra fuit, quæ nunc post vulnera pomi  
Sordeat: antiquum retinet virtutis honorem,  
Quamvis pollutæ biberet contagia carnis.  
Et quid degeneres nos tramite rectat ab isto?

C

Semper

## Historica narratio

Semper honoratus, sacratus semper habetur  
Omnibus hic genialis Hymen: discrimine agantur  
Non ullo, Corydon vel quavis lege sacerdos,  
Quos non tardat hyems, aut tarda senecta moratur.  
Quis medicas adhibere manus ad vulnera sanus  
Abnuat? atq; maris pressare incendia fluctu,  
Ante suas penitus quam in cælum effundat habenas  
Ignis, & ingentes fumos evolvat in auras?  
At non ista Deæ cunctis incendia parcunt.  
Nec puto, virginitas quantis simulata redundet  
Vel vitiis, vel quanta trahat discrimina secum,  
Et quam votores se in dura pericula mittant,  
Est opus ut memorem: Perquirite pectoris ima,  
Excute internos flagrantis pectoris astus,  
Qui nisi conjugii resident medicamine victi,  
Circum corda fremunt, donec velut agmine facto,  
Quà data porta ruunt, secum moderanina mentis  
Raptantes, velut excussis volat æquore aperto  
Curris equum loris, celerem & prævertitur Eurum.  
Tollere naturæ nescit stipulatio flamas.  
At que leta seges scelerum, quod dedecus Orbis  
Christiadum tali nasceretur origine, cum jam  
Quos vocat ad vitæ studium, non laudis inane,  
Virtutisq; decus, sanctæq; professio vite,  
Juratam exosi vitam, condentur in atris  
Fornicibus, vel gaudebunt Ganymedis in vlnis.  
Diū, meliora precor, diū talem avertite pestem.  
Sic ait ille regens & flectens peccora dictis,  
Unius in thalami exitium conversa jugalis.  
Qui postquam sancto finem dedit ore loquenāt,  
Obstupere omnes, & qua decreta fremebant  
Firmandi studio, rapidis dant irrita veniis.

O venea

de Cœlibatu Sacerdotum.

10

O venerande senex, Veneris cui gaudia blanda  
Fœmina nulla tulit, qui Laidi flectere nulla,  
Quo tu dante animi tantum tibi sumis & oris,  
Mulorum ut solus legum præscripta refutes?  
Et quem nullus amor coquit ut connubia cures?  
Atq; utinam tunc, cùm pro cœlibe bella novabant,  
Cùm tibi, sancte senex, rupisset fila senectæ  
Mortis avara manus, misera manus invida seclus,  
Mente revolvissent memori, secumq; putassent,  
Olim quæ dederas reliquis servanda ministris,  
Signarasq; viam: quam non tamen ipse tenebas,  
Afflatus meliori aura, ac imbutus, ab alto  
Aethere qui spirat, majori munere flatus,  
Quàm pro sorte hominum cōmuni, haud indigus usus  
Conjugii: tua sed præconia sancta sequendo  
Servassent, sponsis qui classica dira canebant:  
Sed tamen & memores quosdam non abstulit error  
Primitus, innumeros quamvis non æqua gerentes  
Corda toro, cæcæ mersos caligine noctis  
Egerit à vero vesania, tramite, mentis.

Bis duo lustra ierant, hæc cùm responsa dedisset,  
Quem non ulla dies memori dehinc eximet ævo,  
Corrector Nicæa tuus, tua gloria Nile:  
Ecce novum molitus opus, rex tristis averni,  
Collectæ, Phariæ post fata inimica columna  
Tædarum, inspirat Synodo in Gangrenibus arvis,  
Ut, cui sorte gravis cecidisset cura laborum  
Sacerorum, nulla sacerum sibi poscat in ora,  
Ambitiosa adiens pede festa Hymeneia lecti.  
Nam vitium & virtus quanto discriminé, quanto  
Rex Stygis ac Christus, candorq; & nigror aguntur:  
Tanto etiam virgo gelidum complexa cubile,

C 2

Atq;

## Historica narratio

Atq; torum haud veritus mos descendisse jugalem.  
Sic quidam: at quibus his melior sententia, sede  
Missus ab ætheria quorum se cordibus addit,  
Lustratisq; animum, stimulos in pectore veri  
Vertit, agens vivo vivus præcordia motu  
Spiritus, ista, illi, quo digna ea, fulminis ictu,  
Quæ Christi cætum moderantibus ultima pæna est,  
Damnant, & legi dicunt anathema refixa,  
Et Canonas canone elidunt meliore vicissim  
Asserto sponsis aequo cum virgine honore.

At Latios penetrare sinus, sedesq; Papales,  
Atria sacrificum, tripotentis regnatiaræ  
Pontificum, atq; Alpes gressu superare nivosas,  
Expediat, Petro & cultam quæ gesta per arcem,  
Quasq; regunt animo Romani, monstra, Tyranni  
Insidias, & quam sacris crudele pararint  
Excidium ihalamis, juvet omnia ferre sub auras.  
Sed quam fœda mihi objicitur Camerina movenda,  
Acria præfocans spiramina naris odoræ,  
Atq; viris bilem gravibus motura molestam,  
Quem fæcunda sui latè jaculatur, odore!  
At vos Pontifices, quos Circe verbere tactos,  
Atq; libidinibus, furtiva fraude, repletos  
In saxa, inq; fera & perulantia monstra refinxit,  
Delusitq; animos, hominis sub imagine, Sponsæ  
Quos Ate adversus tadas armavit honestas;  
Este mihi faciles, animisq; favete benignis,  
Et, si vera feram, vobis si digna recludam,  
Premia digna date, & crescentem ornate Poëtam,  
Vester honos agitur, vestri est ea gloria regni.  
Syricius Latias cum res Romanus haberet,  
Subjectoq; sibi mundo ditione, superba

Jura



de Cœlibatu Sacerdotum.

II

Jura daret, legesq; unus cùm conderet, illo  
Ire cuculligeris Domino Saturnia secla  
Cœperunt monachis, & ferrea tempora sponsis,  
Quos Deus, atq; ipso multò sapientior etas  
Syricio, sacris altaribus ante sacrarat,  
Atq; Dei dederat praconiarite, reuersis  
Sordibus, & pura sacri fornace liquata  
Codicis, ad populum studio haud cessante sonanda.  
Hos ille ardentem diris è faucibus Aetnam  
Evolvens, saeo ore minax, anathemate tristi  
Terribilis, dictisq; procax & fulminis aura,  
Depulit à sacris, jussos habitare penates  
Privatos, rastriq; manus ad pondera misit  
Ignaras tractare solum, vel ad Ismara, Bacchi  
Munere leta Dei, duro exercenda ligone,  
Conjugii atq; datae fidei per cuncta tenaces.  
Heu quibus ille tori lacerabat fædera dictis,  
Exacuens odio in licitos mortalia corda  
Concubitus, heu quas cædes, quæ fata tonabat.  
Quem jam Sisyphius subigit labor actus in orbem,  
Non socium cuiquam nostri tetigisse cubile  
Ordinis, inquit, erit fas, aut permissa potestas.  
Nobis quippe Deorum oneranda altaria donis,  
Et precibus superi puris in vota vocandi,  
Nostra iterata cadit Christus patri hostia dextra;  
Sed sua quem terrent scelerum commissa, jugalis  
Curaq; cui socii sub noctem multa recursat  
Concubitus, qua mente Deum quóve ore vocabit?  
Quæ fuerit vitiis pavido fiducia cordi?  
Aut qua mente Dei sacras venerabitur aras  
Accumulans donis, repetens tua vulnera Christe,  
Nocte tulit sua præterita cui gaudia conjunx?

C 3

Non



## Historica narratio

Non caro grata Deo , nec carnis vita probata est,  
Quam quicunq; colit socii aversanda secutus  
Nobis, ô Hymenee , tui irritamina pacti,  
Qui Diuum sacras aditum affectabit ad aras  
Pinguisa supplicibus superans altaria donis.  
Quive salutabit sancti sancta aria templi  
Sacra Deo faciens , cœli haud dignatus honore.  
Cui non, quam fidis certam tanum, annuit arcem  
Ille hominum indigetumq; Pater, cui militat aether?  
Janua nulla patet , Paridem vel Sardanapalum  
Aetherias mittat recto que tramite ad oras.  
Exulet à templis profugus , simul exulet aethra.  
Cocytii metuens stagna alta , Stygisq; paludem  
Ille Paris , nimium cui vincla jugalia curæ,  
Prætexit infandos thalami solatus amores.  
Quo torus & fornix , at quo discrimine distant?  
Verum ô crudelis, quæ te tam dura tulerunt  
Sæcula , qui tales talem genuere parentes?  
Non hominem vox ipsa sonat, non sanguine cretus  
Humanus es , Deus ipse tibi neq; sanguinis autor,  
Ipse Deus, qui jura tori sanxitq; fovetq;  
Sed Deus iste tibi genitor, tibi sanguinis autor,  
In centum varians vatum quem pagina formas  
Transmutat, niveæ amplexu solata juvencæ.  
Nam quem sancta docent sanctorum oracula vatum,  
Ille ratas jubet esse faces Hymeneia dona,  
Castigatq; vagam Venerem, subigitq; barathra  
Infernij, plectens & surdo verbere cädens.  
In furias , thalamiq; ruens odia aspera , vecors  
Syricius cum quo mavult contendere bello,  
Mutua quæm thalamo perhonoro corda foveri.  
O cæcas hominum mentes , ô pectora caca!

Heu

Heu quantis circum nigrescunt cuncta tenebris!  
 Eheu noctis habet quantum vesania menis!  
 Fare age Syrici, veras age dissere causas,  
 Quid sacer ille Hymen in te committere tantum  
 Quivit, & infandum hunc sub corde movere dolorem,  
 Ut, sua cui dederat magnum dicenda per orbem,  
 Qui suffixa hominum delicta piavit in ara,  
 Verba ministerii, canonas, legesque, refigas?  
 Quid' ve abolere juvat procerum consulta priorum,  
 Quos mirata suos requierunt flumina cursus,  
 Quos stupefacta suum posuerunt frigora Ponti  
 Horrorem? emicuit per quos Paphlagonia tellus,  
 Accepitque suum, quem non deperdet, honorem,  
 Dum vehet amnis aquas, dum flumina piscis amabit.  
 Si qua Deus quicquam curat mortalia, si quis  
 Res oculis hominum miseras Deus aspicit aequis,  
 Debita pro tantiis, solvent iibi præmia factis.  
 Si qua fides, quæ restat adhuc mortalibus ægris,  
 Si pietas, tollent te lucida ad astra nepotes,  
 Quam meritus te laude vehent, iibi carmina pangent.

Hinc septem magnis cum lata meatibus orbis  
 Secula Phœbea signasset lampade mundo,  
 Signaque ter decies rediens numerasset in orbem,  
 Per duodena regens mundi Sol aureus astra,  
 Præterea & decies ter cornua flexa, labori  
 Fessa suo Lunæ reparantiis membra, coissent.  
 Oceanus Latios Vergivus & ultima Rhœbe  
 Tum primùm sensere dolos, quos ille cruentus  
 Cercopum fætus diris è faucibus halans  
 Evomit, ut misero contagia noxia mundo  
 Incumbant, pariterque ruant cum plebe docentes:  
 Tybris Hyperboreas tum primùm tristis arenas

Turba-

Historica narratio

Turbavit, fati crudelis nuncius aræ.  
Fortè sacri quidam Primatus sceptra gerebat,  
Nomine seu vatem, veteris qui oracula legis  
Conclusit moriens, venturi nuncius agni,  
Jamque, propinquaniem digito qui monstret, & agno  
Apparet ingressum Solymorum ad mænia, Magni  
Cursoris: Servum seu nomine forie ferebat,  
Auris cui Petri bifida cadit icta securi:  
Heu quibus ille modis thalamos periurbat & aras  
Rhæbe tuas, Latiae bullarum portitor aulæ,  
Indomitusque, furens convitia legibus addit:  
Quod genus hoc hominum, quæ ve hunc tam barbara morem  
Permittit regio, (sic fanda infanda vocabat)  
Ut non Ausonio imperio parere parentes  
Suscitet in turpis connubia fœtida lecti  
Ignis, & in Venerem stimulos accendat acutos?  
Moribus absistat populi, & deaiscat amorem  
Conjugis, ad nostros quisquis contendit honores.  
Vis ea ruricola, nulla qui lege tenetur,  
Est data, sed nobis non sint ea ludicra curæ.  
Quippe per hæc, ferro cedenda, igni que domanda,  
Jam penitus 1010 versum fas exulat orbe,  
Et despecta jacet, nullis non obvia sannis,  
Rellgio, & miserè splendorem luget ademtum.  
Nil mihi cum lustris, nil cuiquam muneris hujus.  
Sic lustrum & thalamum nullo discrimine habebat,  
Egregiam vero thalami laudemque, decusque,  
Concinis, Autolice ac Epicuri de grege porce.  
Egregiam quin & laudem, & quos poscis honores  
Scilicet inde refers, convitia, scommata, risus.  
In nunc, connubio dictisque, illude superbis,  
I, sacrarum acuens tædarum infædera morsus.

Nigra,



de Cœlibatu Sacerdotum.

13

Nigra, libidinibus quam fœdam lustra recepiant,  
Gens epulata nimis, puer gens sacra Diones  
Teg, tuosq; colat, quos qui pius horreat, ausus.

Verum age rumpē moras, pelagoq; invecta patenti,  
In numerum osores thalami refer inclita Clio,  
Perge age perge alacris, quid te impia monstra morantur?

Se, penitus toto divisus ab orbe Britannus,  
Immemorem Ausoniæ multos servarat ad annos  
Legis, & indulxit Divum se indulserat vtrō.  
Hunc regere imperio & sub leges mittere iniquas  
Petrisequis labore est: quare sub tecta galero,  
Pontificis Magni accitu, sacra tempora circum  
Puniceo vincitus coit omnis, & atria compleat.  
Conveniunt quibus aut odium crudele Britanni,  
Aut metus acer erat, stupidis diademate Magni,  
Informis partus Noctis, cui lumen ademum  
Menus, quem matris tenebræ male noctis inumbrant  
Confedere toris Patres seseq; locarunt  
Cardinei Sponda, folio subnixus eburneo  
Ipse Abavus media cœli testudine sedet,  
Septius vtrīng; armis, folio & sic infit ab alto:  
O column regni, mea magna potentia, vires  
Imperiq; decus, vita mihi carior ipsa,  
Sancta cohors, mea puniceis evincta galeris  
Gloria, num quæ sit nobis fortuna videtis?  
Imperium mihi sorte datum est, & summa potestas,  
Nec tantum Italiae fines custode tueri,  
Sed nova moliri pro Religionis honore  
Addita cura fuit, regniq; extendere fines.  
Quò facere id possim, gemino mihi fornice murus,  
Sedis Apostolicae, & nostri munimen honoris,  
Surgit, ut imperium qui animis non accipit æquis,

D

Vtus

## Historica narratio

Vtius ego hunc pœnas inimico à sanguine sumam,  
Prosequar & largis patienter frena ferentem  
Indultus, quibus expugnet magni atria cœli.  
Gens inimica mihi, nostri non audit habenas  
Imperii, gens Marte ferox & nobilis arte,  
Dives opum, dives nummis, & mercis opimæ:  
Hanc premere imperio, atq; hanc Petro iure subactam  
Afferere est animus, regniq; in parte locare.  
At vos ô Proceres regni, regniq; columnæ,  
Este pares animis quoq; , regnumq; forvere  
Este pares studio, & rebus succurrite nostris:  
Consulite in medium, qua vietam inflectere mentem  
Possimus venia, qua spe, quo munere, quo ve  
Atonitam terrore, ferox si munere vinci  
Abnuat, & Petro nolit parere vocanti  
Aspera, præclaris ducenti pectora donis.  
Multæ alternanti mecum, taciteq; putanti,  
In partes rapto varias, sententia tandem  
Visa prior: vestro quisquam de flore legendus,  
Pectoris augusti, linguae nec inutilis usu,  
Mercurius, celeres qui nostra ea jussa per auras  
Deferat, & nostri regni pro parte labore,  
Consilii bonus & verbis: in virumq; paratus  
Vel verbo, vietus vel rem decernere ferro.  
Dixerat, at laeto cuncti simul ore fremeabant  
Romulide, tentare volentes æquora talem.  
At consulta, hominum missus quis portet ad aures  
Improbis eloquio, nec agendis frigidus armis  
Orator? Venere ante alios impurior omnes  
Despicitur medio è numero, quem Crema galero  
Ornarat, multoq; opulentum fecerat auro,  
Improbis eximii Baptista nominis hæres,

Quem

de Cœlibatu Sacerdotum.

14

Quem sua luxuries, Cereriq; assueta libido,  
Ardor inexiinctus Veneris, satis improba falsi,  
Auri sacra fames, trucis & truculentia mentis  
Eripient letho, donatum munere vitæ  
Perpetuae, & festæ sacrabunt nomina luci.  
Tractus is in medium è medio, summiq; probatus  
Præsulis arbitrio, Autolica non degener artis,  
Amplis ire parat bullis instructus & astu.  
Vtq; rotis summas levibus perlabitur undas  
Neptunus, sua loca regens fugit ocyor Euro  
Alite, statq; pecus fundo mutum omne subimo,  
Agnoscitq; gradus Regis, currusq; volucres,  
Ille regit dictis fluctus & temperat æquor:  
Haud aliter volat ille unda, ventisq; secundis  
Auspicio Aeolidum, cupidisq; allabitur oris.  
Qua sibi tum placita felix tellure receptus,  
Quæ mandata ferat, missus quid venerit Anglis,  
Expedit, & laetus summa confidit in urbe,  
Conciliumq; vocans, per avaro fædera morsu  
Imperit attractus liciti, sociumq; cubile  
Horrendum increpitans, quæ tela Typhœa portet,  
In tædas vibranda sacras, & vasta datura  
Templa, quibus socie placuissent jura maritæ,  
Custodita viris: At quæ responsa? Ministros  
Hec nos Romulidæ fas jussa capessere non est.  
Non hæc divina præscribit pagina legis,  
Non antiquorum referunt vestigia patrum  
Indubitata fidem, nec mens sibi conscientia, tantis  
His unquam legum disceat parere lupatis  
Salva; animis legum tardis hæc jura ferantur,  
Quos adversa Venus nequicquam spectat, & odit.  
Sic illi: at secum huc illuc Babylonius heros

D - 2

Fluctuat,

## Historica narratio

Fluctuat, & magnos irarum colligit aestus  
Consilii adventusq; sui, legisq; repulsæ.  
Ac velut elapsum pugna pudor urit, at ipse  
Ardescit fugiens, reficitq; in prælia vires  
Amissas, rediensq; irarum incursat in hostem  
Impeste, non aliter premit altum corde dolorem  
Spe dubius, falsusq; animi Cremensis, & ardet,  
Quas struat his cœptis, extundere providus artes,  
Insidiasq; & luctantes sub pectore flamas  
Irarum hand potis est pressas retinere, sed illæ  
Quæ via facta ruunt, venti velut agmine facto,  
Certatumq; iterum referunt in prælia victum,  
Quem multò fuerat satius, fastidia prima  
Passum, quam dubiæ se iterum committere pugnæ  
Incertum penitus lauri, sortisq; futuræ.  
Improbis exactior quia dum nimis urget agendo  
Hesperie magna mandata, & fulmine multos  
Territat, atq; minis: sensa in contraria vulgus  
Scinditur, atq; vigil jactaram discere vitam  
Cura subit, quæ dum exacuit cupidissima morum  
Pectora, comprehensus furto latatur inani  
Lampsacides lustro, socii securus amoris.  
Accipe nunc Roma insidias, & criminè ab uno  
Disce dolos omnes, & quæ tibi fata parentur  
Hesperie votis, terrore, anathemate, diris,  
Et ne crede dolis Latii, latet anguis in herba  
Frigidus, & dulci miscens aconita propinat  
Ambrosia, potuq; Deum, facilesq; veneno  
Fallit, & in barathrum per præcepis mittit averni.  
Verum ego quid tandem turbata per omnia Roma  
Circumpectus eam regna, hac ingrata revolvens  
Nequicquam? gelidas quid enim procurrere ad Arctos,

Sauro-

de Cælibatu Sacerdotum.

15

Sauromatas' ve feros pelago juvet inde remenso?  
Quid memorare omnes, error quas viderit, urbes,  
Regnaq; quasq; vago, pro plausu, errore repulsas  
Pertulerit, vel quæ, monimentus condita fidis  
Opprobria? est eadem sors. Est ea namq; voluntas  
Omnibus arg; idem est animus, quos Phœbus Eoo  
Spectat ab Oceano primum post sidera cursu  
Erectus volucri, vel quos cùm mergitur undis  
Hesperiis: & quos metuentes equore tingi  
Perpetua aspiciunt populos veri gine lapsæ  
Magna minorq; feræ, notissima sidera nautis,  
Connubio servire pio, sociaq; maritæ  
Amplexus, quam concubitus Veneremq; pacisci  
Incestam, & membris alere immedicable vulnus.  
Ergo nec immensum nobis maris æquor arandum,  
Omnia non opus est: tentata remetiar illis  
Aequora bulliferis, patria tellure moremur,  
Et faciles thalamis animos & lustra perosos  
Teutonicos lustremus, & has ut patria nostra  
Pontificum leges fuerit venerata trisulcas,  
Obsequiosa manus tendens, & munera, victa,  
Vestigemus. At o quo te Germania versu  
Prosequar, & rectam qua laude ad lucida tollam  
Sidera, quæ fidei & dictis fidissima sola,  
Vtia subinde viros, Circeo verbere bruta  
In pecudum versos animalia, monstra, manebas.  
O dulcis patria, & quod dicere Saxona verè  
Terra, bonis felix animis, o prodiga terra  
Heroum, qui sunt veri q; boni q; tenaces.  
Justiciæ ne prius mirer belline laborum,  
Conjagiive prius mirer, pœnaq; statuta  
Conjugio pro polluto, spolioq; pudoris,

D 3.

Qua



## Historica narratio

Qua fumo violans periit, violata favilla.  
O constans patria & veteris studiosa rigoris,  
Versa nec in pejus primo certamine legum  
Cacciadæ, ut tonitru perterrebare tremendo.

Post mille exhaustos terraq; mariq; labores  
Pontifici, penitus totam conversus in iram,  
Pinifera ad Boream Italis quam dividit arris  
Alpis, vis fremitus, crudelis & impius hospes  
Finibus erumpens Italis Babylonidos hæres,  
Irarum ardescens flammis, convertit in oram,  
Cedere vel pacto ihalami, vel cedere templo,  
Et modo damnato votis delubra patere,  
Horridus increpitans, bellumq; minantia fundit  
Fulmina crebra tuis, ô Teutona mater, alumnis,  
Quæ tibi fida, tuis altaribus ampla ferebat  
(Carmina, latitiamq; Dei sacra vota, precesq;)  
Manera, venales animos, venalia iura  
Detestata tribus, sacris exercita curis,  
Execrata vagam Venerem, complexa maritas.  
Sed quæ fata, illum sed qui, tot casibus actum,  
Errorem insequitur, sortis pro numine, plausus?  
Vrbs est Vindelico ante alias pulcherrima in agro  
Nominis augusti, rerum & splendore bonarum  
Augustum ut superet nomen super æthera notum,  
Impleat & magni mensuram nominis, artis  
Nil intentatum, nullo infectumve reliquit  
Tempore, fasta bonorum & laude superba virorum,  
Fortiter adversos infraetum pectus in hostes  
Ferre parum pigrum, sua qui coluere per artes  
Pectora, futilibus penitus liberrima curis,  
Perpetuo rebus tantum defixa gerendis,  
Vel certare pares, vel respondere parati.

Argu-

Arguta argutis responsa revellere dictis  
 Edocti: fato sese hoc poscente ferebat  
 Callidus ille doli fraudum fabricator & autor,  
 Magna ferens magni Ausoniae consulia Tonantis  
 Armiger ille Jovis, triponentis fulminis ales,  
 Lampsacides, bullam, qua frigida morte resignet  
 Pectora, quaq; animis inducat marmora vivis,  
 (Munere namq; Dei ni sit concessa potestas  
 Tanta Papæ agminibus, votum quo nomine vendant?)  
 Præfigens dextra, magnam & spem frontie serenans,  
 Ante suo lituos, collataq; signa, sonosq;  
 Innectens capiti, victoris præmia, laurum,  
 Impia congerminat sacræ convicia tæde,  
 Edicens votum, verbis ferroq; minatus  
 Ni faciant & decreta hæc mala Bestiæ adoren.

Quem contra impatiens factus, animiq; superbi,  
 Verba parat surgens Huldricus & increpat ulro,  
 Concussumq; suis, quem deber, reddit honorem  
 Conjugii, socios sibi quos delegerat ipse  
 In partes, regniq; Dei socia agmina, magno  
 Pascendumq; quibus dederat pro fænore regni  
 Christe tui, roseo conspersum sanguine cætum.  
 Sic ergo ingreditur, placido & sic pectore fatur:  
 Verba Quiritum audita mihi, tonitruq; tremendum  
 Auribus insonuit: Sed quis furor, impia sed quæ  
 Vana Lycaonidæ tanto discordia motu  
 Incessit? Furiae quæ agitant fas vertere fundo?  
 Sacra legebantur veteris qui ad munia pacti,  
 Omnibus ex æquo sociæ data copia sponsæ  
 Semper erat: vel quò haud dubiis prædiscere signis  
 Auxilium, adventumq; Dei, & magnum instar amoris,  
 Ac venia, qua prosequitur quos fidere Christo

Certum

## Historica narratio

Certum est, evaleant : vel quo medicamine morbum,  
Qui reliquum à lapsu vitiavit pectoris ignem,  
Pectoris elicitum latebris , ceu carcere frenent.  
Nec quoquam cassum voluit, quam fixerat olim,  
Tempore legitimi legem in connubia lecti,  
Versa nec in melius divinitus ista leguntur  
Orsa , Dei quin & proles , lux splendor & aura,  
Missus ut orator cœli secreta resignet  
Omnibus, & nulli lustrata, evulget ad ora,  
Christus, multa movens fido sub pectore , multa  
In melius referens tetra delapsa ruina.  
Fida suis cùm dicta daret: Quis frigidus istos  
Abnuat ardentes astus ? nihil ista moratus  
In studium sobolis prona flagrantia carnis  
Illectamina ait ? quoitus est qui pectore fido  
Audiat imperium tantum , tam jussa superba,  
Ni quem cœlesti Deus ipse afflaverit aura ?  
Maximus ipse etiam Tharsei ruris alumnus,  
Cujus ab aetherio caluerunt pectora motu  
Verius, & mulio fidei conspectius in se  
Doctrinæq; habuit signum , non laudis egenum,  
Quam quod, posthabitum reliquis, magis omnibus unum  
Roma colit monstrum , Doctoribus ; ille docentem,  
Qui delectus agit divina sorte per aras  
Rite ministerium sacras , verbumq; sonandum  
In populum magno ore serens, fausto omne differt  
Intrepidus, thalamo non dedignatur honoro.  
Quin vult in sibolem curam traducat , & ipsam  
Quam risu agnoscit propriam , non pelice natam  
Impura, vigili forme singulis docendi  
Officio, & domui impendat , quod debet, agenda  
Omne suæ studium , lustri infensissimus osor.

E



de Cœlibatu Sacerdotum.

17

Et sanctos veterum canonas quis nesciat? ipsos  
Assuetosq; toro? quorum vestigia quisquam  
Oderit, aut diris devoverit ignibus Orci  
Sævus in hos sanctos manes, sanctissima Patrum  
Pectora, quos certum est vitam affectasse beatam,  
Et tenuisse viam, rectâ quæ ducit ad astra?  
Ah Präful ne tanta animi feritate ferare.  
An nescis quam sit statio hæc malefida pudicis?  
Et, quæ animus meminisse horret, luctuq; refugit,  
Infandam scelerum lernam, chaos omne malorum  
Ignoras? nec te polluta cubilia quicquam  
Casta movent? spolium nec virginitatis abhorres?  
Nulla reformidas scelerum contagia, abunde,  
Instar quæ fluvii, hoc magno se gurgite tollunt?  
Quid Ganymedeis fædis amplexibus usquam  
Fædius, aut Io Jovis, insanoq; furore  
Pasiphaës? neg, enim hæc densa sub nocte premuntur,  
Quin sub luce vigent clara, nec testis eget res.  
Infantum nil te, caco quos fornice natos,  
Ipsi se proprio fædantes sanguine, furtim  
Quam miserè insontes mactant, conduntq; larebris,  
Pænitet? ô verè stuprorum turpis amator!  
Quid tibi Gregorii gemitus, lacrymasq; querelasq;  
Hoc super effusas casu, cum mille minorum  
In claustris furtim cæsorum, forte sagena  
Traxisset capita infantum, (proh dedecus ævi!)  
Commemorem? in melius tua quæ potes orsa reflectas,  
Romanaq; feras eadem hæc mea dicta riare,  
Vincat & ille suos animos, tam sæva retractans  
Sensa animi, servetq; Deo, foreatq; maritos,  
Usque adeo qui turbat agris, arasq; aditusq;  
Depopulans, sacræ cæsis custodibus arcis,

E

Romu-

## Historica narratio

Romulides; ne tantam animis ne assuecite fraudem.  
Si nihil humanum genus, armaq; nostra putatis,  
Postquam fraude doloq; immanni templa tenetis,  
Inferius vobis si, quicquid in orbe, putatis  
Gentis Christiadae, magnum quæ sparsa per orbem est:  
At sperate Deum memorem fandi atq; nefandi.

Dixit Caciada sed non vox excidii ore  
Vlla, nec hinc unquam est ausus sua credere luci  
Somnia, sed per tristis abit, sedesq; revisit  
Ipse juas, minitatus abit ferrumq; facesq;  
Ergo se gelido solvit Germania luctu,  
Ausa, minis spretis, thalami componere fædus,  
Jura tori inter se & sancti, quam longa, fovere,  
Dedere certa neci corporis adversa parantes.  
Nam quid Brunonem vita spoliavit, & armis  
Exuit? ardebat lethali absumere ferro,  
Impatiens consortis homo, socii q; pudoris,  
Addictos sacris connubia sacra petentes.  
Atq; ita parta quies, multos sperata per annos,  
Læta volans patriam dulci complectitur aura.  
Et quanquam passim studia in contraria scindi  
Turba Sacerdotum deliris maxima nugis  
Pontificum, nuptias prorsum aspernantibus illis,  
His pro conjugii pugnantibus ordine sacro  
Strenue: apud seros mansit tamen ille nepotes,  
Plutonis multum sua sibila colla rumente  
Progenie, mansit summorum hic ordo supremus  
Concubitus: Donec Titio quem nomine signat  
Rapius ab inferni flammis, genitricis ab alvo  
Asper, acerè fremens, saevog; immanior urso,  
Et diadema sibi rapuit, clavesq; superbas  
Sedis Apostatica, furiosæ insignia sedis,

Cum

Cūm pravorum aliquot, Sedis spes magna ruinæ cīpsido  
 Ynde refulgebat, violentia morte veneni,  
 Crudeli misere cruciatos morte necasset.  
 Hunc indignantem, jaculari è naribus ignem,  
 Terrasq; tractusq; maris, cœlumq; profundum  
 Qui voret, ac rapida depascat singula flamma,  
 Et terrete animos cœca caligine falsos,  
 Cernere erat: quæ & fessi operum, fatisq; repulsi  
 Transferant proavi, quæ opera imperfecta jacebant,  
 Ille suis aptans manibus, rutilantia magno  
 Tollere molitur conatu ad sidera, linquens  
 Nominis eternam famam, que deinde fatigat  
 Qui misere statim, labor unus in orbe fariget.  
 Heroum exercent quos facta illustria, Vates.  
 Ceu quondam obscuri veritus ne nominis urna  
 Congeberet titulum, fame pro morte laborans,  
 Intendens animum sacris Herostratus, ædem  
 Cynthia diva tuam flammis aboleuit, ut isto  
 Pulvere conspicuus tristem pararet avernum,  
 Nominis & totum debinc differretur in orbem,  
 Forie sui gelido vivax à funere, fama  
 Tum primùm Ausonio quæ vis inimica tyranno,  
 Quantaq; & haud priscis quæ pax Saturnia, sedis  
 Fortiter atq; piè Ottonis regnata galero  
 Perpetua vivo fama, Constantia sensit.  
 Nam cūm dura nimis, primaq; minantia mortem  
 Fronte, parum obsequio dignatur fulmina legum  
 Tarpejis vibrata jugis Constantius heros,  
 Vera nimis prælata volens, hymeneja fovere  
 Paæta magis, quam Pontificum ad mandata cruenta,  
 Aut vastare toros, aut cæde replere penates  
 Criminis insontes, anathemate tristè feritur,

E 2

Obsequio

## Historica narratio

Obsequio & nullis habitus dehinc dignus habenis.  
 Sed postquam jam absunta salus nec legibus ullus  
 Est locus infandis, scribendum sanguine leges  
 Ere forte putant fore sicca sanguine fauces  
 Pontificis, tentanda tamen prius omnia pace.  
 Ergo suum sub conspectum, Babylonia pellex,  
 Fulgida ad occasum Phœbi quos lumina servant,  
 Es quos algenies fortuna removit ad Arctos,  
 Ire jubet, sacri qui sint cungis ordinis, intra  
 Sedis Apostolicae liventia recta; repente  
 Quos ubi collectos medio agmine circumspexit  
 Turpibus in vigilans, & honesti oblitus amoris  
 Gregorius, veteri amissō sic nomine dictus,  
 Turpia quod vigili vestiget lumine (primo  
 Namq[ue] sub exortu, quos in fula præstat, honorum,  
 Cum cathedram scandit diademate clarus & auro  
 Curio, nil homines, nil cœli numina curans,  
 Quisq[ue] datum quondam tincto cœlestibus undis,  
 Promissorum ingens monumentum & pignus apertum  
 Sanctorum, nomen ponens, ea jura resolvit  
 Pacta Deo, in facinus deliraq[ue], dogmata jurans)  
 Intra recta fremit, magnog[ue], repulsa, furore,  
 Mandata imperii, secum indignatur, & illos  
 Quæ maneant, qui detrectent ea, fata, quid autem,  
 Qui se submittant sceptris, quæ dona parentur,  
 Et quæ morigeris porro sit gratia, narrat.  
 Quo fremitu conversi animi, requievit e[st] omnis  
 Impetus illorum, quibus est custodia verbi  
 Synceri commissa vigil, quibus addita sorte est  
 Et morum censura gravis; Lacedæmone quondam  
 Qualia erant Ephoris. Sed non devicta furore  
 Caussa placet turba, quæ tum despecta, minori.

Lubrica

de Cœlibatu Sacerdotum.

19

Lubrica quæ secum quam sit fortuna, fidesq;  
Servandiq; decus castum quam frigida virtus  
Naturæ, quam non leges non ulla refrenant  
Vota superbalicet, verum imperiosa vagatur  
Quò res cung; vocat, vel quo cæco impete fertur,  
Ni divina vagam in gyrum medicina reducat;  
Ardescen tem animam turbata per omnia versans,  
Constitit, & tandem fido sic pectore fatur:  
Explorare tuus labor est sanctissime Prä sul  
Quæ nos cung; juvent, statui & decernere nostro  
Quæ decori esse putas, nos jussa capessere fas est  
Quæ non religio vetat, ægras aspera vires  
Aut non excedunt. Nam quid diadema pedumq;  
Imperi decora ampla tui gestanda tulisset,  
Ni sit & imperii & rerum permitta potestas  
Summa tibi, quò summittant tibi sceptra manusq;  
Debita serviii tibi jura fidemq; professi,  
Quicung; occiduo Phæbo, Septemq; trioni  
Subjecti gelido proflantur frigore Cauri.  
At quæ nunc Prä sul sanctissime jura dedisti,  
Quæ neglecta frenis, quæq; hactenus irrita frendis,  
Non opis est nostræ quavis ratione pacisci.  
Nam quæ adeo lex ulla hominum iam Marte feroce  
Bella movet superis, naturæ jura revellens,  
Ac indulta abolens divina, per omnia pugnax,  
In medium quam lata modò, atq; adeò usq; cupita?  
Haudq; ego crediderim quod te sententia, veri  
Securum, penitusq; erroris turbine versum  
Sollicitet, quò turba ruit stimulata profano  
Spirituum impulsu Stygiorum, turba profana  
Efferat barbarie, tristi quam vivere fraude  
Convectando juvat nugas, & spargere voces

E 3

In vul-

## Historica narratio

In vulgum ambiguas, tenebrarum & fallere nocte.  
Quippe per hanc ihalamo excidium, clademq; malignam  
Venturam, manifesta docent oracula vatum.  
Haudq; ego crediderim, tete vlla quod arguet etas  
Degenerem, & Christi haud memorem, qui muneris hujus  
Non quosvis, sed quos tantum divinior aura  
Celitus afflavit, flammamq; excussit amoris,  
Avertitq; animis prorsus socia ora marite,  
Vel quos dura gelu finxit natura spadonas.  
Asseruit fore participes. Quid Apostolus autem?  
Arbitrii non esse sui, nec juris, eodem  
Servitio quenquam premere, ac damnare nefandis  
Potorum laqueis, passim manifesta reliquit  
Contestata suum summum monimenta favorem  
Erga conjugium. Quin sacrum ascendere lectum,  
Quam torrei astu, cæco quam carpier igne,  
Qui male dissimulatus agit, vivitq; tegendo  
Immedicabilibus depascens corpora flammis,  
Consultum magis esse putat, quin præcipit illud.  
Cuius & innixus quondam Memphiticus heros,  
Concilium dum Cæsar agit Nicæa per arva,  
Quis furor acer erat ihalami confundere pacta,  
Confudit fera corda, bonis facilisq; maritis,  
Ipsa tamen nunquam socium tetigisse cubile  
Consuetus, quem nulla De& testimonia blandæ  
Senserit, aut norit Veneris succumbere ludo.  
Infirmi mensuram humeri neg, viribus æquante  
Legis Apostaticæ, dum in carne hac degitur ævum.  
Ergo ministerium ad sanctum, præconia verbi  
Si qua sonare velis, nec densa nocte recondi,  
Agmina cœlitum, niveo quæ ardore coruscant,  
In faciem conversa hominum, sub tecta jubebis

Aggro-



de Cœlibatu Sacerdotum.

20

Agglomerent sese, cupida illa facessere jussa.  
Illi certa quies à flamma, & pectus amore  
Concubitus vacuum, nec iis mens anxia curis.  
Exerit at sese, ac subsultrans flamma relucet,  
Lacteus & totis diffunditur ille recursans,  
Suscitat & miram sociæ sub pectore curam,  
Ossibus in nostris humor, quo nostra propago  
Conservata manet, longævosq; exit in annos.  
Ardet inextinctum virtus ea, nescia vinci  
Vlli imperio, certissima vulnera cordi  
Vel factura manet, vel sancto munere dotis  
Legitimoq; toro spondet satiata quietem.  
Hunc nisi tu sacrum depellere cordibus ignem,  
Legibus ut felix, felix sic mente novanda,  
Sancte Pater, qui cuncta tenes moderamine dextræ,  
Evaleas, qui sancta Dei convellere tentes  
Jura tori, & sanctæ corrumpere fædera tæda?  
Nec quæ multipli densantur turpia cursu  
Crimina, sub lustris toties repetita Cynadis  
Horrescis? tandem meliori assuefato vite,  
Ille sed ut restui, surdo non verbere fluctus  
Mota loco Oceani, nullos consentit ad ictus,  
Dorsum immane mari summo, Marpesia cautes:  
Aut Acheronta velut, vel ferrea fata sororum  
Parcarum, vis nulla precum movet, ullaremitti  
Supplicia, aut tristes extinguere fontibus ignes:  
Corda gerens adversa toro, non flectitur ille.  
Vsque adeo prorsum fixum, immotumq; sedebat,  
Quæ cuivis concessa, ulli concessa, negare,  
Quos legere ad sanctum, vel lectos ritè volebat  
Ferre ministerium, socialia fædera nupta.  
Solvitur infecta Synodus dehinc pace, sed illi,

Cui

## Historica narratio

Cui tripotens vario præcingit tempora limbo  
Et cœli terræq; potens Diadema Stygisq;  
Exarsere ignes animo, calidusq; cucurrit  
Ima per ossa furor, rabide qui exæstuat intus,  
Accendens Marti fera corda, sacroq; crux  
Fundendo. Sed quo, præter sua fulmina, cunctis  
Certius auxilium & rebus solamen in ægris,  
( Quo ceu Gorgoneo stupefactæ vertice mentes,  
Pontificis scelera horrentes, sèvumq; tridentem,  
Aequore diffugiunt toto, statione relicta,  
Et veniam exquirunt pronæ, pacemq; precantur )  
Terreat imbellies animos, arisq; revellat,  
Exturbetq; animis Hymeneia jura, fidemq; ?  
Ergo novum Alpinis iterum procudit ab oris  
Fulmen & infandos iterum furibundus ad orsus  
Fertur inexpletus rabie, sitiensq; crux.  
Ut verò expedit sacerdos data fulmina Mogis,  
Quæ Brontes, Steropesq; insana & mente Pyracmon,  
Cardinea fratres decorati tempora mirra,  
Gloria Vulcani Latii, decus atq; corona,  
Formarant opera, immani vi & aspera fraude;  
Tum verò gelido multi obstuere timore,  
Incerti quid quisq; agiter, quam quisq; fecerit spem,  
Non fremere adversum, non ausi rendere contra,  
Sed tamen explorare juvat, juvat ire vel omnes  
Per casus iterum potius, quam cedere fraudi.  
Pulsa igitur medio postquam Sapientia cessit,  
Et malefunda comes, vis ambitionis, ad ora  
Producta, in medio clara sub luce resplendens  
Constituit, haud doctis dictis armata, sed hastis:  
Turba minor tandem, nil proficiencia fundens  
Verba, Sacerdotum ignescit compulsa furore,

Amplius

de Cœlibatu Sacerdotum.

21

Amplius & fraudum impatiens, ad prælia dextras  
Instruit, & secum: Quid? nos desistere vicos?  
Haec tenus & firmata fide, nunc irrita ventis  
Paœla dare? in sancto, prorsum à radice revelli  
Ista, Dei verbo fundata, sacerrima pacta?  
Idq; audire sat est: non hic rationis egemus?  
Nil quoq; Concilia aut veterum hic exempla moramur,  
Nec pro lege Dei Romana preses in aula:  
Nec nos Pontificum dehinc ulla lege renemur,  
Fas nobis quondam sedi data solvere jura.  
Audiat hæc, manes ferat & mandara sub imos  
Fulmiger ille Jovis, mentita sede superbi  
Prolivori prolis Saturni, ægrecq; Megæra,  
Noctis & obscuræ, Stygiæ qui infame paludis  
Dedecus, hoc ævo periurbat jura, fidemq;  
Quisq; manu telum rapiat, viq; impete & ira  
Corpus in hoc tumidum fastu, nimiumq; galero  
Insurgens, age conjiciat, tu dirige tela  
In latus, ing; feri rabido tete ore petentis  
Præfulis, ut ferro hoc tepefacto, vteroq; recusso,  
In melius revocet, quæ jam consulta minatur,  
Christe ô noster amor, thalamorum gloria Christe.  
Iamq; propinquabant portæ, qua proxima letho  
Est via Romulidum, subito cùm provolat unus  
Ante illos mediastinus, qui cominus, isti  
In medium quæ dicta darent, captarat, & intrò  
Nuncius armigeris ea tristia dicta reportat.  
Vulnifica Heroum quæ vox ut venit ad aures  
Ausoniae, gelido subiò obriuere tremore,  
Incerti, quæ dicta parent, quo munere mentes  
Incensas, quâve arte trahant, ducantq; furentes.  
Nil verò auxili i raptis sibi Mogus in armis

F

Esse



## Historica narratio

Esse videns, blandis mulcer flagrantia dictis  
Corda furore pio, spondens pacemq; fidemq;

At tum tempus erat, victor quo raptu teneret  
Ad se regna Petri, Christi q; vicarius excors,  
Ille igitur tentata diu, sed saepe repulsa,  
Imposuit tandem, intentans per vulnera mortem,  
Ni faciant, fremitu fractis, juga tristia voti  
Invitis quamvis, quibus est custodia verbi  
Credita divini, sociumq; extorsit amorem.

Quosq; reluctantes melior fiducia iusti  
Ceperat, infando procumbunt vulnere ferri.

Atq; ita complexus socii sepelivit amorem,  
Concubitusq; vagos & nil rationis habentes  
Substituit: mutata Venus quia gratior una est.  
Sic o sic tandem magna vi victa, facello  
Sancta Venus fugiens, sedem sibi legit in agris,  
Ac humiles habitare casas & figere agrestes  
Condidicit, casus secum indignata nefandos.  
At quae supplicia effugii, quae præmia ponit?  
Hec: quo pulsa solo est nullo discrimine aguntur  
Legitimo thalamo, impuraq; à pellice nati.

Nunc quae sancta tori porro sub pectore flammæ  
Perterit Ausonidum lex, & quæ jura fugârint,  
Quæ pietas, quæ sancta fides, connubia sacris,  
Restat ut expediam: Verum haec quia digna Camœna  
Nobiliora, labant fracti & sub pondere nervi,  
Illa canant alii, quorum sub pectore virtus  
Vivit Apollineo semper rediviva madore,  
Me sat erit tantum veteri cecinisse sodali.  
Sit tamen vi prisca redeant in corpora vires,  
Et nexus iterum veniant mihi verba sub aplos,  
Forsan & haec numeros referat mea Musa subacres,

Morda-

de Cœlibatu Sacerdotum.

22

Mordaciq; nefas mordax virtute refellat.

Gnarus at errorum quod tu (felicibus ausis  
Ominor eveniat) maris traducere, cara  
Turpibus expertem flammis cum conjugé, vitam,  
Gaudia complexus lecti, quam vivere rapto,  
Est tibi cur merito divinum grater amorem.  
Barbarus est, est portentum : quid? Erinnys obortu  
Editus est, & certa lues arisq; toroq;  
Emicuit, pestemq; ferens cladesq; malignas,  
Ultra qui caute, quamvis non pectore casto,  
(Casta vovens, incesta patrans, Paris improbus) urget  
Horrida jura tonans, castam, sine compare, vitam,  
Et blando Veneris victus non cedit amori.  
Improba colluvies miserorum est vita malorum,  
Nec superanda mali latè patet area fati,  
Et quotus in casus placeat comes? una sed uxor  
Fortiter auxilio subiens levat aspera fata  
Recta monens, & partiti socia usq; laboris.  
Illa labascentes animos, mortiq; propinquos  
Suscitat eloquio, & ceu lumina morte resignat,  
Casta Deos in vota vocat, cumularq; penates,  
Heredemq; parit sobolem: ut tua dulcis Elissa  
Eximia, spero, faciet te prole parentem.

Tho Octavio Nota.






65689

AB : 65 689



5b





Farbkarte #13

B.I.G.



HISTORICA DE SACERDOTVM  
Cælibatu narratio,

INDE AB APOSTOLORVM  
TEMPORIBVS AD GREGO.  
RIVM VSQVE SEPTIMVM HETRV,  
SCVM, ANTE PONTIFICATVM HELLEBRAN-  
dum dielum, qui Salerni in exilio misere vitam finivit, deducta: in  
qua insidiosæ Diaboli machinationes, quibus tentatus est cælibatus, &  
pium multorum præcipuorum virorum cælibatum impugnantium  
studium, ac tyrannica crudelitas, qua tandem perlatus &  
violenter introductus est, breviter recitantur,  
carmine Heroico.

IN HONOREM NVPTIARVM  
VIRI REVERENDI ET DOCTI, DO-  
mini PETRI VINDRVPII, Conuentualis & Pas-  
toris in Monasterio Riddageshausen,

G

CASTISSIMÆ PVDICISSIMÆ QVE  
virginis ELISSAE HELMBOLDIAE,  
primum Sponsorum, texta

à

M. Henrico Boëtio Steinbacchio,  
II, IXbr.

HELMSTADII  
Excudebat Iacobus Lucius,  
Anno 1580.